

*Senatum non defuturum. earum duarum rerum pacis bel-* 1498  
*lique utra ei magis cordi est, ejus eligendæ se se potestatem*  
*illi facere. ipsos autem legatos non tam suæ orationis te-*  
*stes habuisse, quam ut si quid durius Ludovico acciderit,*  
*sciant memoriaque teneant jure id meritoque accidisse.*

Ea oratione habita, legatus Ludovici tempus te dixit sumere, dum quid ad illa responderi Ludovicus velit, scire possit: neque tamen dubitare se jam nunc, quin auri libras quindecies millies Ludovicus habeat, quibus Florentini tanquam suis eo bello uti possint. paucisque post diebus literæ sunt ab Ludovico ad Patres datae: *Mirari, se se quam ob causam ea Senatus mandata nuncia-*  
*ri sibi jussisset, qui quidem non socius modo atque amicus, sed*  
*plane filius reipublicæ semper fuerit. æquissimum sibi vide-*  
*ri, quam pecuniam Pisis tuendis civitas erogarit, eam*  
*pecuniam Senatui restitui. itaque si velint, cum reliquis*  
*fœderatis rationem Patres ineant, quonam id quidem mo-*  
*do agi commode conficique possit: se nihil ejus impediturum.* Iisdem diebus Decemviri Petro & Hjeronymo & Aloisio Bragadenis Andreæ filiis, propterea quod ii Nicolaum Georgium, rationibus publicis præfectum, in ejus ædi- bus dum alloquerentur, verbis arrogantioribus interjectis minis fuerant usi, jus comitiorum & magistratum adipiscendorum facultatem annos decem interdixerunt: qui quidem ante id tempus nequeant restitui, nisi omnibus collegii sententiis ea lege absolvantur. Idem postea in Vincentio Barbaro servatum, quod is Dominico Lamberto magistratus *pacis* Scribæ maledixerit.

Florentini æstate ineunte per Catherinam, perque Ludovicum, qui eis pecuniam mutuo dederat, confirmati, novisque aucti copiis, militum reipublicæ non magnum numerum, qui Lunam, ut eorum locorum dominis præficio essent, ab legato missi fuerant, cæde facta in fugam verterunt. Deinde, tametsi Senatus cum Petro Duodo altero legato Pisas profecto equitatum, qui sagittis utebatur, eodem misisset, tamen apud Cassinam magna caligine oborta, ita ut conspici non possent, maximam co-

*sfortia re-*  
*sponso.*

*Venetorum*  
*clades in E-*  
*truria.*